



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 99. Sylvester Mozolinus alias Prieras mortuus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

gis antiquis illam mere tanquam consue- Sæcul. XVI.  
 tudinem Regni citantibus. Ibidem etiam A.C. 1520.  
 typis edita fuit Anno Salvatoris millesi-  
 mo quingentesimo decimo nono, qua-  
 dragesimo, & quadragesimo cctavo ma-  
 gna Gallorum Respublica, quæ Sleida-  
 no interprete iterato latine in lucem pro-  
 diit. Ceterum Seyffelius non minori fa-  
 cilitate, quam sermonis puritate scripsit,  
 & quamvis non nisi leviter Theologiæ  
 scientia tinctus fuisset, ut ipsemet fate-  
 tur, nihilominus illius principiis fortiter  
 institit, atque occurrentes materias ad  
 cujuscunque captum domesticis plerum-  
 que exemplis feliciter dilucidavit.

## §. XCIX.

*Sylvester Mozolinus, seu Prieras.*

Tertius denique ex Scriptoribus hoc Echard. de  
 anno mortuis erat Sylvester Prieras Script. Ord.  
 seu potius Mozzolinus, dictus Prieras a FF. Prædic.  
 Nativitatis suæ oppido, quod in Mont- tom. 2.  
 feratensi aut juxta alios in Genuensi di- Du Pin Bibl.  
 tione prope Savonam situm erat: annum Script. t. 14.  
 ætatis decimum quintum agebat, cum  
 Ordinis S. Dominici alumnus, ac postea  
 illustrissimum illius ornamentum fieret,  
 nam in præcipuis Italiæ Universitatibus  
 publice Theologiam docuit, sæpius con-  
 ventuum Superior, semel Longobardicæ  
 Con-

Sæcul. XVI. A.C. 1520. Congregationis Vicarius generalis, ac demum sacri Palatii Magister creatus est, nec tamen harum dignitatum sollicitudo literarum cultui tempus adeo præripuit, quin plures libros, velut totidem pietatis ac eruditionis suæ monumenta relinqueret. Palmare vero, quo sibi ingentem conciliabat famam, opus est summa moralis, quæ vulgo *Sylvestrina* nuncupatur, seu *summa summarum*, eoquod aliorum summas congeffit, contraxitque. Edita fuit hæc Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo decimo sexto Leonis X. nuncupata, & aucta prodiit rursus anno supra millesimum quingentesimo decimo nono, postea Antwerpiae quingentesimo octogesimo, ac denique Lugduni nonagesimo tertio. Aliud adhuc opusculum ad posteros transmisit, cui titulus, *Rosa aurea*, quæ est Evangeliorum totius anni explanatio ex S. Patribus collecta; hæc primo lucem aspexit anno millesimo quingentesimo tertio, postea sæpius recusa. Præter ampliora hæc volumina composuit Sylvester compendium commentariorum Capreoli in quatuor libros sententiarum; tractatum in defensionem doctrinæ S. Thomæ; Malleum Scotistarum: Tractatum de *Strigimarum dæmonumque mirandis*, librum de meditationibus; tractatum de cura morientium; *magnum & parvum Confessionale*; tracta-

tractatum de Exorcisinis; librum de im-  
molatione Agni Paschalis, ac quædam  
alia pietatis opuscula.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.

Hic idem omnium primus adversus Lutherum calamum strinxit, quamprimum ejus propositiones seu theses de Indulgentiis Romam deferebantur. Libro suo hunc præfixit titulum, *Lutheri errores detecti, ejusque argumenta confutata*, eumque in lucem edidit Romæ anno millesimo quingentesimo vigesimo. Mortuus est Sylvester, cum Ordinis sui Provinciam lustraret apud Rhedones in Britannia die vigesima Octobris hoc anno, ut referunt Scriptorum nonnulli, quamvis alii ejus obitum ad Annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum tertium rejiciant, ac peste extinctum memorent.

Censet Dupinus, quod Sylvester necdum barbarum sermonis modum, qui illo ævo dominabatur, exuisset, nec humaniorum literarum selectum habuisset. Typis impressum prodiit anno millesimo quingentesimo decimo nono quoddam opusculum latini sermonis, cui titulus: *Tractatus solemnis de arte ac modo in quoscunque Hæreticos inquirendi*; Liber is ex inscriptione hac a quodam Dominicano compositus videbatur, ac Sylvestro nuncupatus, imo non deerant, qui Sylvestro hunc

hunc

Sæcul. XVI. hunc librum palam attribuere non dubita-  
A.C. 1520. bant, denuo impressum sub hoc titulo: *Sollemnis ac legitimus modus inquirendi, inveniendi, ac convincendi Lutheranos, opus summo opere necessarium; per venerabilem Fratrem Magistrum Sylvestrum de Prierio Romæ Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.* Attamen paulo post compertum habebatur, hunc librum esse cujusdam Lutherani partum, quem Eduardus Brour Londinensibus literis anno millesimo sexcentesimo nonagesimo rursus excudit, ac collectioni adjecit, quæ inscribitur: *Fasciculus rerum expectandarum, & fugiendarum.*



INDEX